

Universitätsbibliothek Wuppertal

Historische Lautlehre des Lateinischen

Niedermann, Max

Heidelberg, 1907

Anhang

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-3892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-3892)

Anhang.

Zwei inschriftliche Proben alten Lateins.

I.

In saturnischem Versmaß abgefaßte Grabschrift des
L. Cornelius L. f(ilius) Scipio, Konsul 259, Censor 258
v. Chr.; C. I. L. I, 32.

hunc oino ploirume cosentiont Romai
duonoro optumo fuisse uiro
Luciom Scipione. filios Barbati
consol censor aidilis hic fuet apud uos
hec cepit Corsica Aleriaque urbe
dedet Tempestatebus aide meretod.

*hunc unum plurimi consentiunt Romae
bonorum optimum fuisse virum
Lucium Scipionem. filius Barbati
consul, censor, aedilis hic fuit apud vos;
hic cepit Corsicam Aleriamque urbem,
dedit Tempestatibus aedem merito.*

II.

Senatusconsultum de Bacchanalibus vom Jahr 186
v. Chr.; C. I. L. I, 196.

Q. Marcius L. f. S. Postumius L. f. cos. senatum
consoluerunt N. Octob. apud aedem Duelonai. Sc. arf. M.
Claudi M. f. L. Valeri P. f. Q. Minuci C. f. de Bacana-
libus quei foideratei esent ita exdeicendum censuere.
neiquis eorum Bacanal habuisse uelet. seiques esent quei
sibi deicerent necesus ese Bacanal habere eeis utei ad
pr. urbanum Romam uenirent deque eeis rebus ubei

eorum uerba audita esent utei senatus noster decerneret dum ne minus senatoribus C adesent quom ea res cosoleretur. Bacas uir nequis adiese uelet ceiuis Romanus neue nominus Latini neue socium quisquam nisei pr. urbanum adiesent isque de senatuos sententiad dum ne minus senatoribus C adesent quom ea res cosoleretur iousiset. censuere. sacerdos nequis uir eset. magister neque uir neque mulier quisquam eset. neue pecuniam quisquam eorum comoinem habuisse uelet neue magistratum neue pro magistratud neque uirum neque mulierem quisquam fecise uelet. neue post hac inter sed coniu-rase neue comouise neue conspondise neue conpromesise uelet neue quisquam fidem inter sed dedise uelet. sacra in oquoltod ne quisquam fecise uelet neue in poplicod neue in preiuatod neue exstrad urbem sacra quisquam fecise uelet nisei pr. urbanum adieset isque de senatuos sententiad dum ne minus senatoribus C adesent quom ea res cosoleretur iousiset. censuere. homines plous V oinuorsei uirei atque mulieres sacra ne quisquam fecise uelet neue inter ibei uirei plous duobus mulieribus plous tribus arfuisse uelent nisei de pr. urbani senatuosque sententiad uti suprad scriptum est. haice utei in couentionid exdeicatis ne minus trinum noundinum senatuosque sententiam utei scientes esetis. eorum sententia ita fuit sei ques esent quei aruorsum ead fecisent quam suprad scriptum est eeis rem capitalem faciendam censuere. atque utei hoc in tabolam ahenam inceideretis ita senatus ai quom censuit uteique eam figier ioubeatis ubei facilumed gnoscier potisit atque utei ea Bacanalia sei qua sunt exstrad quam sei quid ibei sacri est ita utei suprad scriptum est in diebus X quibus uobeis tabelai datai erunt faciat is utei dismota sient.

Q. Marcius L. f(ilius), S(purius) Postumius L. f(ilius) cons(ules) senatum consuluerunt N(onis) Octob(ribus) apud aedem Bellonae. Sc(ribendo) adf(uerunt) M. Claudi(us) M. f(ilius), L. Valeri(us) P. f(ilius), Q. Minuci(us) C. f(ilius).

de Bacchanalibus qui foederati essent ita edicendum censuere. nequis eorum Bacchanal habuisse vellet. siqui essent qui sibi dicerent necesse esse Bacchanal habere, ei uti ad pr(aetorem) urbanum Romam venirent, deque eius rebus, ubi eorum verba audita essent, uti senatus noster decerneret, dum ne minus senatoribus C adessent cum ea res consuleretur. Bacchas vir nequis adisse vellet civis Romanus, neve nominis Latini, neve sociorum quisquam, nisi pr(aetorem) urbanum adissent, isque de senatus sententia, dum ne minus senatoribus C adessent cum ea res consuleretur, jussisset. censuere. sacerdos nequis vir esset. magister neque vir neque mulier quaequam esset. neve pecuniam quisquam eorum communem habuisse vellet, neve magistratum, neve pro magistratu neque virum neque mulierem quisquam fecisse vellet. neve posthac inter se conjurasse neve convovisse neve conspondisse neve compromisisse vellet neve quisquam fidem inter se dedisse vellet. sacra in occulto ne quisquam fecisse vellet, neve in publico neve in privato, neve extra urbem sacra quisquam fecisse vellet, nisi pr(aetorem) urbanum adisset, isque de senatus sententia, dum ne minus senatoribus C adessent cum ea res consuleretur, jussisset. Censuere. homines plus V universi, viri atque mulieres, sacra ne quisquam fecisse vellet, neve interibi viri plus duobus mulieribus plus tribus adfuisse vellent, nisi de pr(aetoris) urbani senatusque sententia, uti supra scriptum est. haec uti in contione edicatis ne minus trinum nundinum, senatusque sententiam uti scientes essetis. eorum sententia ita fuit: siqui essent qui adversum ea fecissent, quam supra scriptum est, eis rem capitalem faciendam censuere. atque uti hoc in tabulam ahenam incideretis, ita senatus aequum censuit, utique eam figi jubeatis, ubi facillime nosci possit, atque uti ea Bacchanalia, siqua sunt, extra quam siquid ibi sacri est, in diebus X quibus vobis tabellae datae erunt faciatis uti dimota sint.